

Iohannes, Dei gratia Pragensis episcopus, honorabilibus viris .. abbati et conventui monasterii Breunouensis, ordinis sancti Benedicti, nostre dyocesis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, tam vigor iuris quam ordo postulat rationis, ut id ad exauditionis gratiam admittere debeamus. Eapropter fratres et filii in Christo dilecti, vestris iustis et rationabilibus petitionibus favolabiliter inclinati, statutum et ordinationem ac provisionem per venerabiles viros Iacobum prepositum, Witum decanum et totum Pragensis ecclesie capitulum de assensu nostro provide factam ac licite, per quam disponitur ac etiam ordinatur ex causa rationabili et honesta, ut decetero annis singulis in perpetuum domino episcopo innocenti eiusdem Pragensis ecclesie et ipsis innocentibus ac eorum sociis omnibus pro expensis, que eis in monasterio vestro dari consueverant, una die pro quolibet anno non nisi fertonem argenti boni in ultima ebdomata ante festum Nativitatis Domini dare tenemini, assignando eum procuratori prefati episcopi vel magistro puerorum, quo episcopus, innocentes et socii ipsorum predicti omnes et singuli debent esse contenti, nisi vos, domine abbas, vel aliquis ex successoribus vestris, in predicto termino premissam quantitatem pecunie dare neglexeritis et etiam assignare in tempore constituto, prout premisimus et in litteris dictorum prepositi, decani et capituli Pragensium super hoc editis et sigillo ipsius Pragensis ecclesie roboratis ac vobis et vestro monasterio assignatis, quas nos vidimus et legimus, plenius continetur, autoritate, qua fungimur, ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre confirmationis paginam infringere et ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Witi, Wenceslai atque Adalberti martyrum et nostram se noverit incursum. Datum Prage per manum Petri, notarii nostri, anno Domini MoCCoLXoVIIo, in die Siluestri pape et confessoris, indictioned decima, pontificatus vero nostri anno nono.